

39. Rursus ubi voluntas DEI concurrit, ibi actio etiam aliqua DEI simul concurrit. Voluntas enim DEI non in imaginatione sive cogitatione nuda consistit, sed ut Psalmus habet, quicquid vult Deus, id etiam facit. Psal. 11. 10.

40. Unde consequens, nec eorum etiam interpretationem per omnia satisfacere, quae loca illa scripturarum de Induratione, excacatione, Deceptione, duntaxat per negationem & subtractionem gratiae atque Spiritus exponunt: ut Deus tunc plenè indurare & excacare dicatur, quando suam subtrahit gratiam & Spiritum sanctum.

41. Hac enim ratione omnes impœnitentes & in peccatis mortui, quibus certè Deus suam subtrahit gratiam, excacati atque indurati à DEO dicendi essent.

42. Testatur autem scriptura singulare hoc esse pœnarum & suppliciorum genus, non indiscretè omnes impios, sed in specie quosdam duntaxat respiciens, quo peculiari ire atque vindictæ suæ exemplo eos Deus punire soleat.

43. Iam verò extra omnem Controversiam est & illud apud pios quosvis positum, Deum propriè neque excacare, neque indurare, neque decipere. Quæ tamen de eo in scripturis, quoad literam, predicantur.

44. Stabit igitur verum ac ratum illud præter συζώρησιν sive participationem illam, tribui ista DEO in scripturis impropriè atque figuratè, triplici potissimum respectu. Et